

## *Prooemium*

Folia periodica *POLONIA SACRA*, quorum editionem elapsis accurate quattuor decenniis iam quarta vice Facultas Theologica – instantis Pontificiae Academiae Theologicae Cracoviensis – denuo suscipit, fundata sunt anno 1918 conatu ac incepto Venerabilis Professoris Ioannis Neopomuci Fijałek.

Ioannes Fijałek sacerdotali vocatione cum Archidioecesi Cracoviensi coniunctus fuit. Nondum provectoris aetatis studiosus munus professoris in Universitate Leopoliensi assecutus est, ubi etiam eiusdem Almae Matris rectoris honore annis 1903–1904 fungebatur. Anno 1912 ineunte officium professoris historiae Ecclesiae gerere coepit in Facultate Theologica Universitatis Iagellonicae. Iuxta communem eiusdem disciplinae contemporaneorum pervestigatorum opinionem Ioannes Fijałek XX saeculo in numero peritissimorum historiae ecclesiasticae expertium haberi debet. Profecto non est mihi in animo, ut in hoc Prooemio activitatem scientifico-didacticam fusius in conspectu ponam necnon permultas functiones et honoris insignia enumerem, quibus ab variis scientificis Poloniae institutis atque ab Ecclesia fuit honoratus. Non est tamen praetermittendum, quod sicut socius ordinarius laboribus Polonae Academiae Litterarum active intererat.

In praesenti Prooemio *POLONIA SACRA* plene approbat et proprium reddit programma, quod anno 1948 indicavit eisdem foliis periodicis Venerabilis Professor Thaddaeus Glemma in suo articulo, qui inscribitur A REDACTIONE, publicato oblata occasione 550 anniversarii Facultatis Theologicae in Universitate Iagellonica fundatae. Quod programma – ut opinor – etiamnunc vim suam et auctoritatem retinet tempore 600 anniversarii foundationis eiusdem Facultatis Theologicae bulla EXIMIAE DEVOTIONIS AFFECTUS promulgata a Bonifatio papa IX die 11 mensis Ianuarii anno 1397. Glemma, discipulus et succesor professoris Fijałek in cathedra historiae Ecclesiae in Polonia, tum scripsit: theologia id

sibi proponit (...), ut in luce principiorum rationi per fidem illuminatae solvat quaestiones atque difficultates actualis vitae, (nam) theologicae quoque investigationes ad talem finem niti debent ut indicium eis praebeant, qui illa principia in omni opere pastorali ad faustum eventum perducant.

Ut tempus ipsum postulat, Facultas Theologica non solum alumnos conformat, qui munus sacerdotale suscipere velint, sed etiam studentes laicos, qui non raro sicut laici partes suas Christo in Ecclesia dare desiderent. Vi conventionis de cooperatione scientifico-didactica factae evenit, ut Facultas Theologica praeter proprios studentes activitate sua etiam 19 seminaria dioecesana et religiosa necnon 5 instituta theologica complectitur. Appropinquante iam tertio a nativitate Iesu Christi millennio atque ratione habita programmatis Novae Evangelizationis ab Ecclesia catholica, praecipue autem ab Ioanne Paulo papa II spiritu Concilii Vaticani II imbutae, *POLONIA SACRA* – ut denuo profunda theologice formula ante 50 annos a Thaddaeo Glemma prolata utar – Facultati Theologicae facilius reddere debeat munus scientifico-theologicum adimplendum ac prae primis utilem esse veritati, quae aeternam repercutit Veritatem, necnon opem ferre Ecclesiae catholicae, quae illam Veritatem in orbe terrarum annuntiat.

Ks. prof. dr hab. Adam Kubiś  
Rektor